

## TENTAMEN XIII.

*Quo Antlia Pneumatica seu Guerikiana admiranda quaedam effecta & experimenta, partim ab Inventore Organi aliisque jam dudum facta, partim à nobis primum tentata, Societatis Curiosa oculis fuere subjecta, ac deinceps ad causas suas naturales reducta.*

**I**N hoc tentamine cum primas partes, imò fabulam totam ferè sola, egerit *Antlia Pneumatica*, hujus structura ante omnia cognoscenda est ei, qui cum fructu legere sequentia voluerit. Ac si maximè Lectores meos ad P. CASPARIS SCHOTTI Technicam Curiosam hujusque Lib. I. Cap. I. Experim. I. quo Machinæ hujus constructio ex Inventoris præscripto delineatur; vel ad ipsius Inventoris, INGENIOSISSIMI GUERIKII, serius editi Tractatus, *Experimenta nova Magdeburgica* inscripti, Lib. III. Cap. I. quod novam ac diversam multum ejus formam exhibet; vel denique ad ILLUSTRIS BOYLII Experimenta nova Physico-Mechanica, cujus Proœmio alia rursus Instrumenti facies depingitur &c. ablegare velim; id non solum ingratum plerisque, quibus ad manus illi libri non sunt, sed & eonomine minùs consultum deprehendo, quod nostra constructio, à duabus posterioribus nimium quantum, à prima autem haut parum differat. Erit igitur omninò operæ pretium ut nostram Antliam, ad Guerikianæ primæ exemplar, quibusdam mutatis, factam particulatim describamus.

Partes igitur ejus principaliores erant duæ: *Recipiens nempe seu Vas exhauriendum & Antlia seu Siphon exhauriens*. Illud n. hil aliud erat quàm Globus cavus vitreus circa colli orificium epistomio & clavícula ex orichalco munitus: & hujus quidem recipientis duplicem formam cum videretur postulare experimentorum diversitas, altera præter aperturam colli ordinariam, aliam in summitate sua desiderabat (*Vid. Fig. LIII. num. 1.*) Calathò tamen B ex lamina ferrea, & pro fundo hujus, operculo C interius instructam, ita ut demissis intra vitri ca-  
vita-